



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VIII. Rursum istud iosum probatur ex alio illustri loco ejusdem Pontificis. Agebatur de castigando Mauricio Episcopo Pictaviensi, qui judices à Papa delegatos vocabat Papæ judicellos, & se Papam esse ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

Ratio ut causas definiret quæ in provinciis Illyricianis definiri possent citra contradictionem, ceterum majores gravioresque causas reservaret iudicio sedis apostolicæ. Attici porrò causam, quippe qui Metropolitanus esset, inter majora negotia referendam esse, adeoque de ea referri debuisse ad sedem apostolicam, culpandumque propterea esse Anastasium, qui eam iudicare præsumpserat.

VI. Ne quis verò existimet me novum aliquid dicere, aut summæ Romani Pontificis auctoritati velle quippiam detrudere, laudabo sententiæ istius auctores ex intima penè antiquitate, simulque Innocentij III. testimonio evincam Legatos apostolicæ sedis, tamenetsi generalia mandata acceperint, debere se continere intra certos limites & intelligere sibi tributam non esse vi legationis eam potestatis amplitudinem in provinciis quæ Romano Pontifici competit in causis ecclesiasticis. Anno M L X X I V. cum Legati à Gregorio VII. in Germaniam missi synodum generalem celebrare vellent, quod intra Gallias, id est, Germaniam, à nullo alio celebrari posse quam à Romano Pontifice contendebant Episcopi illarum partium, opponerentque Legati se vices gerere Romani Pontificis, contenderetque è contra Liemarum Bremensis Archiepiscopus sibi quoque & Moguntino Archiepiscopo vices apostolicæ sedis per Germaniam antiquis privilegiis esse concessas, primùm quidem Legati docuerunt mandata Legatorum expirare morte mandantis, & Legatos in partem sollicitudinis esse vocatos, non in plenitudinem potestatis, ad quam rem probandam utuntur testimonio sancti Leonis quod paulò antè protulimus: Præterea, inquit, sicut in primi Leonis Pape quodam capitulo legitur, Pontifex Romanus vices suas ita committit, ut qui accipiunt, in partem sollicitudinis sint vocati, non in plenitudinem potestatis. Eadem fuit sententia Ivonis Episcopi Carnotensis: qui ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum & apostolicæ sedis in Gallia Legatum scribens, virum, ut ex ejusdem Ivonis epistolis patet, aciem ac vehementem in retinenda dignitate sua, contendit, non secus ac Legatos in Germaniam missos fecisse vidimus, legationis officium partem esse apostolicæ sollicitudinis, non plenitudinem potestatis, & hanc partem modò plus modò minus recipere pro arbitrio committentis, maxime cum secundum eundem Leonem, inquit, legationis officium pars sit apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis, quæ etiam pars modò plus modò minus recipit pro arbitrio committentis.

VII. Anno millesimo ducentesimo, va-

cante Ecclesia Panormitana, Galterus Trojanus Episcopus & regni Sicilia Cancellarius usque adeo ( ut Innocentij III. Gesta tradunt ) laboravit quòd fecit se in Archiepiscopum postulari, eandemque postulationem per præfatum Legatum ( nimirum per Cencium Presbyterum Cardinalem Tit. S. Laurentij in Lucina, qui tum apostolicæ sedis Legatus erat in regno Sicilia ) admitti, Summo Pontifice penitus inconsulto. Et quamvis nondum Palleum recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re & nomine se gerebat. Quod cum ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum, quòd in tanto negotio circa talem personam processerit antè quam suum beneplacitum perquisisset. Extant Innocentij literæ ad Legatum, plenæ majestatis, ex quibus colligimus hunc Pontificem eadem de Legatorum potestate sensisse quæ & Legati Gregorij VII. & Ivo Carnotensis diù antè senserant, eademque omnino distinctione ex sancto Leone petita usum esse, quamvis illum non nominet. Hæc sunt enim ejus verba: Licet in regno Sicilia generalis sit tibi commissa legatio, ad ea tamen sine speciali mandato non debuisti manus extendere quæ in signum singularis privilegij sunt Summo Pontifici reservata, tamenetsi quædam ex iis quæ de speciali concessione sæpe fuere Legatis indulta, ut illorum videlicet absolutio qui propter sacrilegas manuum injectiones in Clericos inciderunt in canonem sententiæ promulgata, videantur & ex ipso legationis officio jam licere Legatis. An existimas, quia vices nostras tanquam Legato tibi commissimus exequendas, quia Panormi Ecclesiam possessore subicere Messan. ut illam isti præficeres, concessi sibi privilegio primatiæ? An putas ex eadem causa tibi licere duos episcopatus unire vel unum dividere sine licentia speciali?

VIII. Post aliquot exinde annos idem Innocentius paulò apertius usurpavit verba sancti Leonis, & quidem secundum explicationem à nobis allatam. Delegaverat ille iudicem in causa quadam Priorem sanctæ Radegundis Pictaviensis adversus Mauricium ejusdem civitatis Episcopum. Iste verò agrè ferens se subjici minori, jurisdictionem ejus palam turbavit, penas etiam infligendo, publicè prædicans quòd in episcopatu suo esse vellet Episcopus atque Papa, & asserens quòd per iudices delegatos à Papa, quos Papæ judicellos appellabat, nihil agi sineret in sua dicecesi. Innocentius verò ratus audaciam illam ferendam non esse vindicandamque injuriam sedi apostolicæ factam per istius temeritatem, literas ad quosdam partium illarum ecclesiastici ordinis viros dedit anno M C C X I I I. x. Kal. Aprilis, quibus eis commisit curam castigandi Episcopum &

K iij

Gesta Innoc. III. cap. 19.

Cap. Quòd translationem. De off. Leg.

Laurent. Solus. ad. 11. 107. 4. & 108. apud. Panorm. ad. 11. 107. 4. & 11.

Item. Balthasar. de. vita. Gregorij. VII. apud. Balthasar. ad. 11. 107. 4. & 11.

107. 4. & 11.



fautores ejus. In initio autem magna præfatione usus, ac multa prolocutus de auctoritate Romani Pontificis in universam Ecclesiam, ait illum, quia simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora subito transvolare non potest, sollicitudinem suam in plures dispertere, quæ per se ipsum non potest, per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ita tamen ut multis hoc modo vocatis in partem sollicitudinis, penes eum semper remaneat plenitudo potestatis. Sed operæ pretium est ipsamet ejus verba referre. *Univerſorum etenim conditor, inquit, qui omnia simul ab æterno providit, sciens sanctam Romanam Ecclesiam futuram caput omnium fidelium & magistram, ejus pastorem, per quem populum suum ad repromissionis terram per hujus mundi solitudinem prosperantem regere disponebat, jam tunc benignius instruere dignabatur qualiter, conditionis humana lex hominem simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora transvolare subito non permittit; redimeret tarditatem, sua videlicet onera dispensando per alios, & que per se ipsum non posset, per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ut sic multis vocatis in partem sollicitudinis, penes eum consisteret plenitudo potestatis.*

Innoc. III. lib.  
16. epist. 12.

quo

IX. Ex his ergo quæ dicta sunt colligi facile potest Leonis primi locum ex epistola ad Anastasium non esse intelligendum de plenitudine potestatis quam Christus dedit Petro & successoribus ejus Romanis Pontificibus, ita ut ille solus plenitudinem illam habeat, ceteri verò vocati tantum ab eo sint in partem sollicitudinis, ut placuit Vigilio & Gregorio IV. qui loquentes de Romana Ecclesia, aiunt eam sic vices suas aliis Ecclesiis credidisse, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Ex ea persuasione factum est ut in Concilio Romano habito anno DCCCCXCVIII. Gregorius V. confirmans ordinationem Arnulphi Episcopi Aufonensis, (quem Narbonensis Archiepiscopus, ad quem tum jure metropolitico spectabat sollicitudo Ecclesiarum provinciæ Tarraconensis, consecraverat) his verbis utatur quibus omnem episcopalem auctoritatem in sede Petri ponit tantquam in fonte, ex quo ceteri Episcopi tantum accipiant quantum placuerit Romano. Operæ pretium est ipsa viri verba referre ex veteri scheda nondum edita. *Privilegio nostre auctoritatis confirmando & corroborando Arnulphum prenommatum Episcopum in ordine pontificali Ecclesie Aufonensis statuimus atque sublimavimus, anulumque & virgam pastorem ei dedimus, ligandi solvendique potestatem vice Apostolorum & nostra ei concessimus.*

X. Præcipit itaque deinde Leo Anastasio

ut has literas suas in omnium Episcoporum notitiam faciat pervenire, ob necessitatem publicandæ legis, & ne quis ignorantia juris se tueri possit, si mandata superius recitata non observaverit. Admonet deinde se ad omnes Illyrici Metropolitanos scripsisse de vicariatu Anastasij, ut obediant apostolicæ sedis delegato. His ita generaliter enarratis, transit ad caput alterum disciplinæ, ad ordinationes nimirum Presbyterorum & Diaconorum, quas die dominico, non secus ac Episcoporum ordinationes, peragi debere docet. *Cognovimus sanè, inquit, quod non potuimus silentio præterire, à quibusdam fratribus solos Episcopos tantum diebus dominicis ordinari, Presbyteros verò & Diaconos, circa par consecratio fieri debet, passim quolibet die dignitatem officij sacerdotalis accipere. Quod contra canones & traditionem patrum usurpatio corrigenda committit, cum mos quibus est traditus circa omnes sacros ordines debeat omnimodis custodiri.* Porro Leonis epistola ad Metropolitanos per Illyricum constitutos edita est ab Holstenio inter Acta Concilij Romani sub Bonifacio secundo celebrati, eademque mandata continet quæ leguntur in epistola ad Anastasium.

XI. Præter epistolam ad Metropolitanos illos scriptam, aliam quoque de eodem argumento scriptam ad Metropolitanos per Achaïam provinciam constitutos, in qua nonnulla notatu digna reperiuntur quæ in superioribus non extant. Nam post factam mentionem majorum causarum, quas, si in provinciis suis nequeant terminari, ad Anastasij notitiam referri jubet, ut eodem arbitrio sub divini timore judicij componantur, transit ad celebrationem Conciliorum generalium Diæceseos Illyricianæ; ad quæ illos convenire jubet, cum evocati ab Anastasio fuerint, si nulla gravi necessitate retineantur; id tamen admonens se constituisse, *ut non frequens, nec pro levibus causis, conveniendi necessitas indicatur.* Providebat enim prudentissimus Pontifex, id quod postea malo provinciarum sæpe accidit, ex constitutione celebrandarum synodorum descendere posse pessimum abusum, congregaturumque fortassis Anastasium multas generales synodos, ut potentiam & fastum suum ostentaret, si nulla super hoc constitutione repressum se sciret. Veruntamen Leo hanc causam hujus prohibitionis non adfert, sed aliam sapientissimam simul & justissimam, nimirum propter fatigationem Episcoporum qui in longinquis provinciis constituti erant, & qui non sine gravibus sumptibus ad synodos accedere poterant. *Maximè, inquit, cum moderatio nostra providerit ut non frequens, nec pro levibus causis, conveniendi necessitas indicatur,*

Vide Demele  
ad Cap. 11.

Vide Ino. vi  
18. de synod.  
Lect. 11. in  
Gen. 1. Epist.  
cap. 1.